



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio II. De contritione prima parte huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

D V B I V M V.

Vtrum in Sacramento Pœnitentiæ assignetur Sacramentum tantum, Sacramentum & res simul, & res tantum?

RESPONDEO breuiter posse assignari, vt communiter doctores. Sacramentum tantum assignantur confessio, & absolutio, quæ ita aliud significant, vt hæc ipsa per aliud non significantur. Sacramentum, & res simul constituitur contritio, quæ significatur per confessionem, & absolutionem quatenus legitima confessio debet ex aliquo interiori dolore procedere, vt super tali confessione impendatur absolutio, & ita dicitur res, quæ ipsa dicitur etiam Sacramentum, quia significat peccatorum remissionem. res tantum est ipsa peccati remissio. videri potest S. Thom. q. 84. art. 1. ad 3. vbi

Notandum quod in plerisque alijs Sacramentis id quod est Sacramentum & res simul, sit extrarationem Sacramenti, prout est instrumentum causatum gratiæ: in presenti tamen secus accidat, vt patet ex superiori dubio, vbi ostendimus contritionem esse partem intrinsecam Sacramenti pœnitentiæ. S. Thom. responsione ad 3. citat a ait: *Quorum primum totum simul sumptum est causa secundæ: t. autem, & 2. sunt quodammodo causa tertiæ.* quibus verbis videtur significare confessionem, & absolutionem esse causam contritionis, quod tamen falsum est, cum potius contritio sit causa confessionis: nam peccator perpendens sua peccata, & de illis dolens ex huiusmodi dolore excitatur, vt ea per confessionem clauibus subiciat.

Varij laborant in explicandâ eâ S. Thom. sententiâ, & dicunt aliqua planè improbabilia, vt videre est in Caietano art. S. Thom. cit. Soto dist. 14. q. 1. art. 1. in fine.

Sed videtur posse commodè responderi si dicamus S. Tho. per illa verba: *quorum primum totum simul sumptum est causa secundæ*, noluisse significare confessionem, & absolutionem esse causam ipsius cognitionis secundum suam substantiam, sed solum quod contritio ex coniunctione cum confessione, & absolutione peculiarem vim habeat circa gratiam sanctificantem, & ad remissionem peccatorum operandam. nam in quantum illis coniungitur, habet vim ex opere operato gratiam conferendi, & remittendi peccata, etiam si sistant in gradu attritionis, nec pertingat ad perfectionem contritionis strictè sumptæ: quod si sit contritio, ex virtute clauium recipit virtutem ampliorem gradum gratiæ conferendi, quàm ipsa seorsim causaret. cum dico recipere virtutem &c. non volo absolutionem nouam vim physicam, seu qualitatem ipsi actui contritionis perfectæ, vel imperfectæ imprimere, sed solum intendo ultra id quod ex opere operantis poterat, per coniunctionem cum dictis partibus eleuari ad gratiam ex opere operato conferendam, & moraliter loquendo id recipere ab alijs partibus, præsertim absolutione, in quâ residet vis præcipua huius Sacramenti.

Hæc explicatio videtur plana, & facilis, nec vllas patitur difficultates, quas patitur Caiet. loco cit. qui censet attritionem virtute absolutionis fieri contritionem, quod est contrâ experientiam, cum plerique accedentes ad hoc Sacramentum non censeant vllam sui actus mutationem quando

eis impenditur absolutio. adde quod ea impendatur ijs, in quibus non potest vllō modo fieri hæc mutatio, vt priuatis ratione, dum absoluuntur. cuius etiam incommoda, in quæ incidit Sotus supra dicens contritionem formatam esse causam remissionis peccati, cum contritio formata gratiâ non possit dici causa formalis, vel etiam efficiens remissionis peccati, nam iuxta hanc considerationem non potest dici causa gratiæ, & proinde nec remissionis peccati, cum peccatum per gratiam expellatur.

D V B I V M VI.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit iterari? A fortiori id negarunt hæretici, de quibus dubio 1.

SE D certâ fide tenendum est hoc Sacramentum posse ab eadem personâ iterari: quia vnus, & idem post receptum hoc Sacramentum potest labi in peccatum, imò labi in mortale, cuius veniam consequi non potest sine ordine ad clauis, vt est de fide, ergo hoc Sacramentum potest iterari. patet etiam ex praxi, & sensu Ecclesiæ, & suadet ratio: hoc Sacramentum est institutum per modum iudicii, ad quod deferantur causæ hominum, quibus Deum offenderint; natura autem iudicii patitur, vt vnus & idem sapius in eo sisti possit absolueundus, vel condemnandus; nihil autem habemus in scripturis, vel traditione quo nobis indicetur id fieri non posse in iudicio pœnitentiæ: item Christus instituit hoc Sacramentum tanquam medicinam spiritualem; medicina autem potest sæpius applicari ijs qui in morbos incidunt, decuit ergo diuinam misericordiam huiusmodi medicinam instituire vt homines qui moraliter loquendo non possunt vitam diu transigere sine peccato, eâ sæpius vti possint. quæ rationes ostendunt hoc Sacramentum posse iterari respectu diuersorum peccatorum, non verò ostendunt posse iterari respectu eiusdem, quod tamen fieri posse docet praxis fidelium, & infra explicabitur.

Contrâ potest obijci quod Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 10. citatis à D. Thom. q. 84. art. 10. in 2. argumento censet pœnitentiam repeti non posse.

Resp. cum S. Thom. responsione ad 2. Ambrosium eo loco agere de pœnitentia solemnī in antiquâ Ecclesiâ vsurpari solitâ, quæ non solebat iterari.

QVÆSTIO II.

De contritione prima parte huius Sacramenti.

D V B I V M I.

Vtrum aliqua contritio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ?

RESP. affirmatiuè, patet ex Concilio Flor. decreto de Sacramētis, & ex Trid. sess. 14. cap. 3. & canone 4. de pœnitentia: idque factum est à Christo conformiter naturis rerum, nam Sacramentum pœnitentiæ

27.

Conclus.
affirm. Catholica.

Obiectio 1.
Ambros.

Resp.

28.

Resp. affir.
Florent.
Trident.

tentia est institutum per modum iudicii, in quo causae inter Deum, & hominem lapsum in peccatum post baptismum iudicarentur; iudicium autem non constat solâ iudicis sententiâ, sed etiam quibusdam alijs actibus, verbi gratia accusatione, igitur ad hoc iudicium conuenienter assumpta est accusatio, tanquam illius pars. rursum hoc iudicium est reconciliatiuum, estque institutum in bonum ipsius peccatoris, ut scilicet per illud Deo reconcilietur; iudicium autem reconciliatiuum conuenienter requirit ut ipsemet reus sese accuset, & cupiat reconciliari, igitur conuenienter est institutum, ut ipsa accusatio fieret à reo, seu ut ipsemet reus se accusaret. præterea quisquis cupit alteri reconciliari & ab eo obtinere remissionem offensae in illum commissae, conuenienter naturis rerum debet dolere se illum offendisse, ergo à primo ad vltimum contritio conformiter naturis rerum est instituta pars huius Sacramenti, per quam peccator ostendat peccatum sibi displicere, & per quam externa peccatorum confessio sit, & censeatur esse penitentiæ.

Confirm. Christus instituit in Ecclesia Sacramentum penitentiæ euexit actus penitentiæ ad esse sacramentale, igitur instituit contritionem partem illius. adde quod post absolutionem effectus Sacramenti penitentiæ, scilicet reconciliatio cum Deo, optime significetur per contritionem, per quam homo ostendit quod quantum in se est, recedat à peccato.

Aduerte 1. contritionem esse partem essentialem huius Sacramenti, & non tantum integram, ita ut si is, qui confitetur, nullam omnino habeat contritionem, absolutio sit nulla, & invalidum Sacramentum. ita communissimè Doctores, & suaderi potest ex ratione à nobis facta: quia iudicium reconciliatiuum conformiter naturis rerum requirit, ut priusquam proferatur sententia reconciliatiouis, reus ostendat offensam sibi displicere, merito ergo Christus Dominus id in hoc Sacramento requisitum.

Aduerte 2. contritionem (quæcumque demum requiratur, de quo in sequentibus) debere esse formalem, & expressam, quia Concilia requirentia contritionem facis ostendunt eam debere esse formalem, & expressam.

Confirm. 1. communi vñ contritio solum virtualis, quæ scilicet censeatur inuolui in dilectione Dei, vel simili actu, neque censeatur, neque vocari solet contritio.

Confirm. 2. in Sacramento penitentiæ homo se accusat de peccatis, quorum proinde habet memoriam, & quidem in ordine ad reconciliatiouem, igitur conuenienter naturis rerum debet de illis conteri, & proinde omnino existimandum est Christum Dominum pro parte Sacramenti requisitisse expressam, & formalem contritionem.

Porro hæc contritio debet concipi formaliter vel saltem virtute ex intentione confessionis, alioquin non poterit dici pars huius Sacramenti. cum enim non sit pars naturalis, quæ ex sua naturâ ordinetur ad confessionem, & ad absolutionem, solum potest censi pars Sacramenti, si per intentionem penitentiæ ad alias partes referatur. patet quia alioquin nullam dicit habitudinem ad illas.

Vnde qui nihil planè cogitans de confessione, vel de hoc Sacramento elicit contritionem, eam nullo modo referens ad Sacramentum vel confessionem, non potest sine nouâ contritione ad hoc Sacramentum accedere, quia prior nullo modo

respiciebat confessionem tanquam partem.

Si quis examinans conscientiam, & eliciens dolorem de peccatis, illum referat ad confessionem, seu doleat volens illa peccata clauibus subijcere, talis dolor sufficit per modum partis, quamvis aliquanto tempore præcedat confessionem, & censeatur moraliter permanere dum sit confessio, licet delictum esse actu, censeaturque moraliter informare confessionem. unde cum aliquis vesperi examinans conscientiam elicit contritionem peccatorum proponens sequenti die confiteri, validum est Sacramentum quantum est ex parte contritionis, licet nullum alium contritionis actum eliciat.

Contra id quod dictum est ad hoc, ut contritio censeatur pars huius Sacramenti, requiritur ex intentione saltem virtute referatur ad confessionem, potest obijci, quod secundum illud videatur omnis contritio perfecta elicitur de peccato mortali nunquam clauibus subiecto sufficere per modum partis, quia omnis talis contritio includit saltem virtuale propositum suo tempore confitendi.

Respondetur negando assumptum, ad probationem dico includi quidem tale propositum, quia id est necessarium, ut sit contritio, quæ requirit virtuale saltem propositum obseruandi mandata Dei, similiter & Ecclesiæ in eo, qui est baptizatus, id tamen non efficere, ut talis contritio respiciat confessionem ut partem, cum, ut dictum est, non sint compartes ex naturâ rei, vnde vt censeantur compartes, & possint moraliter coire tanquam compartes, requiritur ut per intentionem saltem consensum contritio referatur ad confessionem.

Aduerte 3. quod quia Sacramentum penitentiæ est quoddam compositum sensibile, cuius partes debent esse sensibiles saltem vna per aliam: contritio vero secundum se non sit sensibilis, debeat esse saltem sensibilis per confessionem, ex quo quibus ex parte penitentiæ resultat pars sensibilis huius Sacramenti, cum externa recitatio peccatorum non sit pars huius Sacramenti, nisi in quantum censeatur informari contritione, ex quo fit ut ea sola contritio sit pars huius Sacramenti, quæ respicit confessionem sacramentalem, etque correspondet: non verò alia, quæ non sit sensibilis per confessionem. vnde si quis dolens de tribus peccatis à se commissis iusta de causâ vnum ex illis retineat in confessione, dolor non censeatur pars huius Sacramenti, quatenus se extendit ad tertium peccatum, quod sileatur: sed quatenus respicit peccata quæ per confessionem clauibus subijciuntur. quod clarius patebit, si de singulis peccatis concipiantur dolores per actus distinctos: dolor enim conceptus de peccato, quod in confessione non recenseatur, non est pars Sacramenti cum nullum dicat ordinem ad confessionem sacramentalem. quod etiam verum est, licet aliquo alio modo esset sensibilis, vt patet ex ratione allatâ.

Dubium verò est num debeat confessionem præcedere, an verò sufficiat quod concipiatur ante absolutionem: postea censeatur Suarez disp. 20. sect. 4. nu. 31. Valentia disp. 7. q. 8. puncto 6. §. Et certe quoad rem, indicat Vasquez q. 84. art. 1. dubio 3. nu. 21. quod videtur probare praxi confessionum, & penitentium. nam post absolutam confessionem confessarij solent excitare penitentes ad contritionem peccatorum, quam si ostendant, absoluntur, censeaturque legitima absolutio, siue contritio præcesserit confessionem, siue subsequatur. ratio esse potest, quod licet tota prior narratio peccatorum, quatenus tempore antecessit contritionem,

Iudicium reconciliatiuum requirit ut reus se accuset. Qui cupit alteri reconciliari, debet dolere se illum offendisse.

29.

Contritio est pars essentialis, non tantum integralis.

Debet esse contritio expressa.

30.

Contritio concipi debet saltem virtualiter ex intentione confessionis, vt possit dici pars.

Coroll. notabile.

tionem, nondum habuerit completam rationem accusationis, eam tamen fortiaur, ut informatur per subsequentem contritionem, & ut sic informata subiicitur clauibus ab ipso poenitente postulante, vel saltem expectante absolutionem, ergo id sufficit ad veritatem Sacramenti, & ut rite detur absolutio. hæc sententia est probabilis, & in praxi secuta tum propter Doctorum auctoritatem, tum quod ratio allata probabiliter eam suadeat.

Non tamen videtur minus probabile, quod censent quidam alij contritionem non posse tempore subsequi confessionem, sed debere saltem simul tempore esse cum illa, primo, quia nisi saltem simul tempore inueniatur, confessio illa materialis peccatorum non videtur posse dici accusatio dolorosa peccatorum, quia verè in re ipsa non informatur dolore, nec à parte rei est actus moralis exterius dolorosus.

Confirm. si omnibus spectatis externa narratio peccatorum esset fictio confessionis, non redderetur vera confessio & apta ad absolutionem recipiendam propter aduenientem contritionem, sed exterius omnia manerent immutata, quia per superuenientem contritionem fictio externa non mutaret speciem, igitur nec confessio facta absque dolore videtur censenda sufficiens ad recipiendam absolutionem, cum etiam per superuenientem contritionem non mutet speciem.

Dices negandam esse consequentiam, cum inter illa sit discrimin: nam prior accusatio etiam exterius est fictio, quæ non potest censi exterius vera confessio propter superuenientem internam contritionem; confessio autem, prout communiter fit, exterius est in specie accusatio.

Resp. verè & à parte rei non esse in specie accusationis quando desinitur contritione, sed solum videri, quod non facit ut postmodum possit esse in eâ specie per modum actus externi moralis, quia superueniens contritio non mutat moraliter præcedentem actum externum.

2. Ex dictis constat ad hoc ut contritio sit pars Sacramenti poenitentiae, eam debere esse sensibilem per confessionem, sed præcedens confessio non potest reddere contritionem sensibilem quando ea superuenit, si videlicet ita superueniat, ut nulla exterius interueniat variatio, v. g. si post institutam confessionem sine vilo dolore vel non legitimo poenitens ante absolutionem concipiens intus dolorem cum nullo signo externo prodar, & non censetur exterius applicare peccatis præteritis, nec per vllum signum externum censetur virtute repetere confessionem ex prædicto dolore, quod dico propter rationem pro priori sententia allatam, & propter praxim. dico enim ibi inueniri confessionem saltem consulam eorum omnium, quæ prius sunt recensita, informatam contritione, & per quam contritio possit dici sensibilis.

DUBIUM II.

Utrum contritio naturalis sufficiat ad partem Sacramenti poenitentiae?

RESPONDENT communiter Doctores hominum viribus nature posse aliqualem de peccatis contritionem elicere, alioquin frustra moueretur hæc quaestio, & nullus partem affirmantem tenere posset, præterea homo in statu nudæ naturæ videtur potuisse poenitentiam agere, cum & turpi-

tudinem peccati potuisset cognoscere, & non videatur negandum quin saltem aliqui potuissent cognoscere Deum per peccatum offendi, hoc supposito.

Aliqui partem affirmantem sequuntur. Sotus diff. 17. q. 2. art. 5. §. per contrarium extremum, & videtur supponere diff. 14. q. 2. art. 5. §. confirmatur, cum insinuet talem contritionem sufficere ad gratiam cum Sacramento, si responso coniungatur cum argumento quod pro sententia Scoti formauerat. idem censet Henriquez lib. 1. de poenitentia cap. 26. num. 2. qui litera D. plures citat, & quibus tamen aliqui non satis clare id tradunt: solum enim dicunt in genere substantiam huius Sacramenti posse consistere cum motu poenitentiae non sufficiente ad obtinendum eius effectum, ut patet ex Durando distinctione 17. q. 13. Paludano eadem diff. q. 8.

Probat verò potest i. ex eo quod in alijs Sacramentis res naturales assumptæ sint ad esse Sacramentale, seu ut conflarent Sacramentum sicut pars totum, ut facile patebit discutiendi per reliqua Sacramenta, etiam matrimonij, & ipsius Eucharistie quoad consecrationem; imò in hoc Sacramento confessio, & absolutio sunt aliquid naturale.

2. Confessio procedens ex attritione naturali saltem cum proposito emendationis est accusatio dolorosa, & vera, aliquo modo significans effectum formæ, cum non relinquit animum affectum ad peccatum. Aduerte prædictam sententiam intelligi quando quis non notat suam contritionem solum esse naturalem: nam quo casu aduerteretur esse naturalis & concipi ex motu merè naturali, & ex tali contritione institueretur confessio; Sacramentum non valeret defectu contritionis, cum in tali confessione facta ex intentione obtinendi absolutionem committeretur peccatum, & proinde voluntariè poneretur obex effectui Sacramenti, quod non potest consistere cum sufficiente contritione. si verò conditio contritionis non aduertatur, nec committitur peccatum, nec obex voluntariè ponitur, & ita non videtur ex contritione deesse pars ad valorem Sacramenti, quod aliqui intelligunt quando ignorantia vel inaduertentia est inculpabilis: si enim sit culpabilis, aliqui censent confessionem non futuram validam. Resp. &

Dico contritio necessaria ad essentiam poenitentiae per modum partis debet esse supernaturalis, tenet S. Thom. q. 84. art. 1. ad 2. Suarez disp. 20. sect. 4. num. 6. & plures alij.

Probat 1. Trid. sess. 14. cap. 4. agens de prima parte huius Sacramenti, scilicet contritione, eam diuinit in perfectam, & charitate formatam, & in imperfectam, quam vocat attritionem, supponensque priorem debere esse supernaturalem, posteriorem (de qua fortè alicui dubium esse potuisset) docet esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsam, igitur contritio necessaria ad hoc Sacramentum per modum partis debet esse supernaturalis, quoadquidem Concilium agens dogmaticè de contritione, quæ est pars Sacramenti poenitentiae, nullam agnoscit quæ non sit supernaturalis.

Probat 2. is actus assumptus est tanquam pars materialis in hoc Sacramento, cum quo quantum est ex conditione actus, forma significat veram absolutionem: cum forma huius Sacramenti, ut sit vera, debeat huiusmodi absolutionem significare, ut potè expresse significatam per verba; ad hoc autem non sufficit attritio naturalis, cum illa non sufficiat

Affirm. Sot.

Henrig.

Affirm. suadet. Pri-mo.

Secundo.

35.

Conclus. Contritio debet esse supernaturalis.

S. Thom. Suar. Prob. 1. ex Trid.

Prob. 2.

sufficiat ad reconciliationem, ut patet ex multis locis Concilij Tridentini sess. 6. cap. 6. & can. 3. cuius definitio, cum sit generalis, non tantum intelligenda est extra Sacramentum, sed etiam in Sacramento, idem habetur ex varijs locis Concilij Milevitani, & Arausicani, ex quibus constat motum necessarium ad deletionem peccati mortalis debere esse ex speciali Dei gratia, & proinde naturalis attritio non sufficit ad significandam iustificationem obtinendam per absolutionem. unde ulterius.

Prob. 3.

Probatur 3. ex dictis constat actum attritionis naturalis nullo modo disponere ad iustificationem; atqui Sacramentum poenitentiae videtur institutum ex actibus poenitentis, qui saltem aliquo modo disponerent ad iustificationem: quia communi iudicio actus virtutis poenitentiae dicuntur in nova lege euecti ad esse sacramentale; hi autem actus ex sua generali ratione disponunt ad iustificationem.

Confirm. quando in Scriptura, Concilij, vel Patribus fit mentio poenitentiae, nec solent, nec debent intelligi actus naturales, quorum non habetur ratio, cum agitur de iustificatione, vel remissione peccatorum acquirenda.

36.

Ignorantia, & bona fides non potest supplere defectum conditionis, quam actus exigit a parte rei.

Ex his patet attritionem naturalem etiam inculpabiliter ignoratam talem, non esse partem Sacramenti poenitentiae, quia ignorantia, & bona fides non potest supplere defectum conditionis, quam actus exigit a parte rei. Nec obstat quod quando inculpate ignoratur huiusmodi defectus, sententia lata, seu absolutio data non contineat errorem intolerabilem. quia licet ita sit, seu quamvis ex parte ministri nullum ex eo capite inveniatur peccatum: tamen a parte rei non subsistit propter defectum vnius partis materialis necessatio requisita.

37. Satisfit argumentis pro parte affirm. allatis. Ad prius.

Ad ea quae in contrarium initio sunt allata resp. ad prius ex dictis non obscure posse colligi discrimen inter hoc Sacramentum & alia, quod in alijs, saltem excepto matrimonio, materia externa sit assumpta, quae non potest esse alia, quam naturalis, cum debeat esse materialis, & sensibilis, item matrimonium consistat in quodam contractu civili, qui est elevatus ad esse sacramentale, atque adeo materia illius Sacramenti potest esse materia contractus civilis, & proinde actus humani naturales, qui sufficiunt ad validitatem contractus civilis: in Sacramento autem poenitentiae convenienter assumpti sunt actus poenitentis, quorum aliqui debent esse supernaturales.

Actus naturalis non sufficit ut verificetur forma huius Sacramenti.

Confirm. materia naturalis in alijs Sacramentis apta est ad veritatem formae v. g. aqua naturalis apta est, ut verificetur forma, ego te baptizo &c. & ita de alijs: actus autem naturalis non sufficit, ut verificetur forma huius Sacramenti; cum ea significet absolutionem & reconciliationem poenitentis, cui nullo modo proportionatur attritio naturalis. Nec obstat, quod confessio sit aliquid naturale, quia illa intrinsece, & formaliter non potest esse supernaturalis, cum sit actus potentiae externae, & materialis: contritio autem in se potest esse supernaturalis, atque adeo talis esse debet, ut sit apta ad iustificationem, & proinde convenienter talis assumpta est, cum vnum quodque assumi debeat iuxta exigentiam suae conditionis.

Ad posterius.

Ad posterius Resp. patere etiam ex dictis huiusmodi confessionem non sufficere ad significationem formae, eiusque veritatem, neque sufficienter esse dolorosam in ordine ad iustificationem.

DUBIUM III.

Utrum contritio, quae est pars Sacramenti poenitentiae, debeat esse efficax, seu involuere propositum emendationis?

ID non esse necessarium, sed sufficere imperfectum dolorem tenent varij. Caiet. opusculo de imperfecta confessione q. 5. Victoria de Sacramentis nu. 157. cum doceat validam esse confessionem, nec repetendam, si imperfectio doloris non percipitur, vel si in confessione recenseatur, quando percipitur, & aduertitur esse peccatum ita confiteri. ex his enim aperte sequitur iuxta Victoriam non deesse ullam partem Sacramenti poenitentiae, atque adeo iuxta illum dolorem imperfectum modo explicato esse sufficientem partem Sacramenti poenitentiae.

Idem potest colligi ex eo quod docet Sa verbo Contritio num. 5. sufficere cum Sacramento, dolorem quod non doleas. colligi etiam potest ex eo quod docet Toletus lib. 3. cap. 10. num. 7. contentem sine emendationis proposito non teneri confessionem repetere, sed teneri solum postmodum confiteri fictionem.

Sed longe verius est, quod censent varij, contritionem, ut sit pars huius Sacramenti, debere esse efficacem, & involuere emendationis propositum ita Suarez disp. 20. sect. 4. num. 7. probatur ex Flor. decreto de Sacramentis ita docente: *Quotum Sacramentum est poenitentiae, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commissio cum proposito non peccandi de cetero, quod pene iisdem verbis tradit Trid. sess. 14. cap. 4. ubi agere de contritione, quae est pars huius Sacramenti, patet ex eo quod dicat: Contritio quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, etc.* etcens se ad caput praecedens, in quo egerat de partibus Sacramenti poenitentiae, adde huiusmodi imperfectum dolorem, & qui solum est cum velleitate non peccandi, non esse idoneum, ut forma Sacramenti verificetur: quia secum pati potest affectum peccati, ex quo sequitur quod confessio facta ex tali dolore non sit legitima sacramentalis accusatio, cum nullo modo sufficiat ad reconciliationem.

Vnde nullo modo videtur admittenda doctrina Victoriae relata docentis validam esse confessionem, etiam si aduertatur imperfectio doloris, modo illa recenseatur, quia dolor non efficitur sufficiens, ex eo quod quis recenseat se imperfecte dolere, imò, per se loquendo, qui ita se gerit, peccat mortaliter, aduertens scilicet suum dolorem esse insufficientem ad obtinendam absolutionem, & tamen cum eo solo se subiiciens, & paratus absolutionem recipere.

2. Speculatiue loquendo, & loquendo in rigore, non est admittendum quod docet Sa supra, quia dolor de defectu doloris non est dolor de peccatis, imò compatitur se cum effectu peccati, igitur non est dolor proportionatus huic Sacramento, tantum eius pars.

Dico speculatiue, & in rigore loquendo: quia practice persona, quae non est nimium immersa peccatis potest cum tali sensu ad hoc Sacramentum accedere: quia talis dolor in simili persona est signum veri & legitimi doloris, ita enim loquitur persona tenerae conscientiae, eo quod tantum dolorem

dolorem sensibilem de peccatis non percipiant, quantum cuperent: quod tamen non est necessarium ad verum, & utilem dolorem de peccatis.

Petes an formale propositum vitandi peccata in posterum sit necessarium, ita ut absque eo Sacramentum non sit validum? id insinuant aliqui, videturque posse probari ex Flor. & Trid. locis cit. quæ eo modo requirunt propositum cauendi peccatum in futurum, quo requirunt dolorem; dolor autem requiritur formalis, & expressus, ergo & expressum propositum: alij tamen censent non requiri formale omnimodâ necessitate, sed interdum sufficere virtuale, quod est omnino probabilius, quia in superioribus ostendimus contritionem posse inueniri sine formali hoc proposito, quando scilicet menti non occurrit quod peccata sint in posterum fugienda, licet ergo quando menti occurrunt ut fugienda, ad contritionem efficacem requiratur formale propositum illa vitandi in futurum (saltem in eo qui non versatur in mortis articulo) nihilominus quando non occurrunt, non exigitur formale propositum.

Probat, quia ex supposito absque tali proposito formali inuenitur vera contritio, & efficax, ergo ea pars Sacramenti non deest.

Ad Concilia Resp. ea requirere propositum, in quantum iuxta modum explicatum requiritur formale, vel saltem virtuale ad contritionem, & quatenus ad rationem contritionis est necessarium.

D V B I V M I V.

Virum ad partem huius Sacramenti constitutendam requiratur perfecta contritio, prout distinguitur ab attritione?

D V O B V S præcedentibus dubijs ostendimus requiri actum penitentiae supernaturalis inuolentem saltem virtute propositum cauendi peccata in futurum ad hoc ut sit pars Sacramenti, & Sacramentum validum confici possit, in praesentibus: num huiusmodi actus debeat esse actus perfecta contritionis, quâ doleamus de peccato eo quod summè repugnat diuinæ bonitati, an aliquis inferior sufficiat, qui communiter à Doctores vocatur attritio? ad quod

Resp. sufficere inferiorem. ita plures de quibus dubio sequenti.

Probat, ex Trid. sess. 14. cap. 4. quod id videtur omnino docere.

2. Ex eo quod hoc Sacramentum dicatur Sacramentum mortuorum, igitur spiritualiter mortuus potest ad illud accedere, ita ut licet quolibet instanti ante completam absolutionem sit mortuus spiritualiter, Sacramentum verè constare possit, quod non posset dici, si sola perfecta contritio esset pars huius Sacramenti, cum, ut patet ex dictis, & ex communi Theologorum sententiâ huiusmodi perfecta contritio sit vltima dispositio ad gratiam, & proinde ipsum Sacramentum nunquam posset primam gratiam conferre.

3. Si non sufficiat attritio, sed requiratur contritio, Christus Dominus instituendo Sacramentum penitentiae non reddidisset reconciliationem in nouâ lege faciliorem, sed grauiorem potius, quàm fuerit in antiquâ, cum in illâ ad iustificationem sufficeret contritio sine ulteriori onere; in nouâ autem homo non possit reconciliari sine con-

tritione, cui adiungatur onus Sacramentum recipiendi, quod tamen videtur alienum à iuau Dei dispositione, & perfectione legis Evangelicæ.

Dices 1. illud onus posse compensari abundant. Obiectio 1.

Resp. id non sufficere, & non propterea legem Evangelicam posse dici faciliorem antiquâ, quamuis enim dicamus maiorem gratiam concedi contrito per hoc Sacramentum, quàm daretur in lege antiquâ: nihilominus negari non potest, quod sit nouum onus in nouâ lege introductum, scilicet peccata sacerdoti subiiciendi, quod certè est graue, nec potest negari quod si contritio necessario requiratur ad hoc Sacramentum, salus in nouâ lege reddatur difficilior: cum tamen Ecclesia & fideles communi sensu tacitè contrarium censeant.

Dices 2. per institutionem Sacramenti penitentiae non est institutum nouum medium, seu nouus modus obtinendi remissionem peccatorum, sed solum institutum medium, quo reddamur certiores de nostra iustificatione, ita aliqui ad aliud propositum ratiocinantur.

Respondeo negando assumptum, nam constat Sacramentum penitentiae gratiam conferre ex opere operato, ergo non tantum nos reddit certiores de gratiâ obtentâ, sed verè est instrumentum, per quod ipsam recipiamus, constat etiam institutum esse tanquam salutarem medicinam pro ijs, qui in peccatum post baptismum sunt lapsi, & esse Sacramentum mortuorum, igitur est nouum medium primam gratiam comparandi, atque adeo non solum deseruit ad nos certiores reddendos de nostrâ cum Deo reconciliatione.

Confirm. ad veritatem formæ requiritur ut per hoc Sacramentum verè nobis remittantur peccata, quod communiter tenent Doctores contra Magistrum & quosdam alios, qui censent formam Sacramenti penitentiae significare declaro te absolutum à peccatis.

Dices 3. Christus instituendo Sacramentum penitentiae euecit actum virtutis penitentiae ad esse Sacramentale; talis autem actus non est attritio, sed contritio.

Resp. negando minorem: quæuis enim actus perfecta penitentiae sit contritio: actus tamen imperfectioris potest esse alius actus supernaturalis, cuius virtutis actus etiam euecti sunt ad esse Sacramentale dummodo sint cum proposito emendationis, quod ex dictis potest colligi. nam ostendimus hoc Sacramentum in nouâ lege institutum, ut salus pluribus & facilius pararetur, ad quod conuenienter assumpti sunt actus, qui ex se non essent proxima dispositio ad obtinendam peccatorum remissionem.

Petes an qualibet attritio supernaturalis inuolens propositum emendationis sufficiat ad partem huius Sacramenti constitutendam? Respondeo sufficere, quia omnis talis attritio dici potest, & censi contritio imperfecta, de qua Concilium Trid. cap. 4. cit. Confirm. omnis talis attritio est donum Dei auertens affectum à peccato.

D V B I V M V.

Quis dolor requiratur ad effectum Sacramenti penitentiae consequendum?

Q V E M A D M O D V M in alijs Sacramentis aliqua dispositio requiritur ad ea dignè suscipienda.

cienda, & ad consequendos eorum effectus, ita requiri in hoc Sacramento est indubitatum, praesertim, cum sit institutum ad reconciliationem hominis cum Deo, quae saltem de lege ordinaria non fit absque aliqua eiusdem hominis dispositione. quoniam ea sit in praesenti dubio inquirimus, in quo est sententiarum diversitas.

Prima sententia requirit contritionem.

46.

Secunda attritionem existimatam contritionem. Sor.

47.

Tertia sufficere attritionem ad absolutionem, non ad iustificationem.

48.

Quarta sufficere attritionem, etiam cognitam talis. Vazq. Suar. Coroll.

Prima censet requiri perfectam contritionem, prout ea distinguitur ab attritione, quam in superioribus dubijs ostendimus requiri, & sufficere ad rationem partis huius Sacramenti, tribuitur Magistro sententiarum dist. 18. 1. p. dist. cap. 6. ubi tamen nihil videtur habere simile: eam verò tenent aliquot antiqui Theologi quos citat Vasquez q. 92. art. 1. dub. 2. cui sententiae videri posset adherere Navarrus capite 1. enchir. num. 8. tamen ex fine eiusdem numeri colligitur eum censere sufficere attritionem.

2. Requirit attritionem saltem existimatam contritionem. tenet Sorus dist. 18. q. 3. art. 2. §. nihilominus, licet alibi videatur insinuare attritionem naturalem sufficere, ut vidimus dubio 2. Videri possit huic sententiae favere Toletus lib. 3. cap. 4. num. 8. tamen. cap. 10. num. 7. aperte censet attritionem sufficere ad gratiam per Sacramentum poenitentiae recipiendam.

3. Sententia asserit attritionem quidem sufficere tanquam legitimam dispositionem ut quis ad hoc Sacramentum accedat & absolutionem recipiat, non tamen ad iustificationem obtinendam, quae non contingit in hoc Sacramento absque motu Contritionis qui virtute absolutionis excitatur. pro qua sententia varios citat Vasquez dubio cit. num. 5.

4. Sententia docet attritionem supernaturalem dubio superiori explicatam sufficere ad hoc ut quis legitimè accedat ad hoc Sacramentum & eius effectum consequatur, quamvis cognoscatur talis. ita plures Doctores praesertim post Trid. tenent Vasquez dubio citato num. 13. plures citans, quos etiam citat & sequitur Suarez disp. 20. sect. 1. num. 9. referri etiam potest Toletus supra.

Vnde iuxta illam sententiam contritio, quae est pars Sacramenti poenitentiae, & quae est dispositio ad illius effectum consequendum, possunt in unam, eandemque rem incidere: inter quas tamen illud est discrimen quod contritio quatenus est pars, solum respiciat peccata quae explicantur in confessione, & solum sese debeat extendere ad illa, quae recensentur: quia solum est pars quatenus per confessionem est sensibilis. & proinde si quis vel ex ignorantia, vel inadvertentia inculpabili, vel ex aliqua causa legitimam non recenscat aliquod peccatum à se commissum, quamvis debeat de eo dolere, ut consequatur remissionem peccatorum per Sacramentum poenitentiae (si videlicet illud peccatum quod reticetur, sit mortale) nihilominus dolor, quatenus se extendit ad peccatum, quod non recensetur in confessione, non est pars Sacramenti, neque requiritur ad esse partis, qui tamen requiritur in ratione dispositionis, ut quis peccatorum remissionem consequatur.

Cum enim saltem de lege ordinaria vnum peccatum mortale non remittatur sine alio; nullum autem mortale remittatur etiam in Sacramento poenitentiae sine legitimam dispositione, quia homo saltem virtualiter doleat de illo peccato mor-

tali, sequitur quod dispositio sufficiens ad hoc, ut quis consequatur remissionem peccatorum per Sacramentum poenitentiae, debeat sese extendere ad omnia mortalia, quorum homo nondum est consecutus remissionem.

Vnde fieri potest, ut attritio sit sufficiens in ratione partis, quae non sufficiat in ratione dispositionis, eo quod scilicet non sufficienter se extendat ad omnia peccata mortalia poenitentis, ut si non concipiatur ex mortuo omnibus peccatis mortalibus communi. hoc prenotato Respond. &

Dico ad hoc, ut quis legitimè dispositus accedat ad Sacramentum poenitentiae, & ad eiusdem effectum consequendum sufficit attritio etiam cognita talis.

Probat 1. ex Trident. sess. 14. cap. 4. docente attritionem disponere ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam. quia loquendi forma omnino vult sufficere attritionem ad obtinendam gratiam & peccatorum remissionem per hoc Sacramentum, quod ostenditur, quod Trid. tribuit perfectam contritionem ante actuale Sacramenti susceptionem, nimirum reconciliari, tribuit attritioni accedente Sacramento, igitur docet attritionem cum Sacramento sufficere ad hominem reconciliandum.

Secundò eam virtutem tribuit attritioni in Sacramento, quam ei negat extra Sacramentum, igitur Concilium debet velle attritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam virtute Sacramenti recipiendam. si enim solum vellet esse aliquo modo dispositionem, non verò ultimam, non deberet dicere: *Et quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit*: nam illis verbis opponit attritionem inuentam in hoc Sacramento eadem prout non existenti in hoc Sacramento: quae tamen oppositio nulla esset, cum si agatur de dispositione remotà, attritio non minus disponat, scilicet remotè, extra Sacramentum, quam in Sacramento.

Dico Concilium solum velle docere contra haereticos hunc motum attritionis non facere hominem hypocritam.

Resp. negando id solum velle, cum ex toto Resp. Concilij discursu, & ex antithesi, quam constituit inter contritionem perfectam & attritionem seu imperfectam contritionem, appareat Concilium velle quod quemadmodum contritio perfecta hominem reconciliat ante actuale Sacramenti susceptionem, ita attritio id praestet in Sacramento, scilicet nullo alio accedente motu ex parte poenitentis.

Idem patet ex comparatione quam instituit inter eandem attritionem spectatam extra hoc Sacramentum & spectatam ut coniunctam alijs partibus Sacramenti.

Probat 2. conclusio, Sacramentum poenitentiae est institutum tanquam iudicium, in quo homines consequantur remissionem mortalium commissorum post baptismum, igitur debet quantum est ex parte sua posse eum effectum immediatè operari, quod non faceret si praerequiret contritionem perfectam, per quam peccatum semper praeveneretur deletum. Consequentia probatur, Sacramentum frustra ordinatur ad aliquem effectum, si eum semper debeat praesupponere.

3. Pro-

3. Probatur, Sacramentum poenitentiae est Sacramentum mortuorum, igitur non praerequitur eam dispositionem, quae secum adferat vitam, antequam ipsum Sacramentum compleatur, sed aliquis potest ad illud accedere, etiamsi sciat se spiritualiter mortuum, & censetur sufficienter dispositus ad eius effectum, si habeat inferiorem motum poenitentiae, dummodo ille sit supernaturalis, habeatque coniunctum saltem virtuale emendationis propositum.

4. Probatur, si contritio requiratur ad effectum huius Sacramenti consequendum, iustificatio per institutionem huius Sacramenti est reddita difficilius, ut in simili dubio superiori ostendimus; id autem nullo modo dici debet.

Ex dictis refutatur prima sententia initio relata, quae etiam ex hoc redditur improbabilis quod contritio diceretur requiri ad hoc Sacramentum dignè recipiendum, vel ex eo quod per absolutionem non remittantur peccata, sed solum declarantur remissa, vel ex eo quod contritio etiam perfecta non reconciliat ante actuale Sacramenti receptionem. posterius est omnino improbabile, ut in superioribus ostendimus; prius etiam dici nequit, ut constabit ex infradicendis; & quia repugnat proprietati formae, quae propriè significat reconciliationem ab ipsis culpis; repugnat etiam Ioann. 20. *quorum remisistis peccata*: nam remittere peccata propriè loquendo non est solum declarare esse remissa; ex nullo autem solido fundamento possumus colligere ea verba non esse accipienda in proprià significatione. 3. si ita accipiat formam, omnino quid exile concessum est Ecclesiae per institutionem huius Sacramenti.

Refutari etiam potest 2. sententia. existimatio enim contritionis vel eo possit requiri, quod alias homo peccaret accedens ad hoc Sacramentum, vel quod hac saltem ratione debeat compleri dispositio. prius dici non potest, quia sciens se spiritualiter mortuum non peccat accedendo ad Sacramentum mortuorum, vel requirèdo medium, per quod vita spiritualis possit ei restitui. neque etiam dici potest posterius, cum dispositio verè requisita non possit per nostram aëstimationem compleri. quamvis enim bona fides possit excusare à peccato, non potest tamen supplere dispositionem, ita ut ratione illius censetur poni dispositio, quae alioquin non poneretur.

Confir. dispositio necessaria ad iustificationem debet esse in re independentem à nostra aëstimatione quod certum est in iustificatione extra Sacramentum; non suppetit autem ratio aliud asserendi in ea quae sit per Sacramentum.

Refutatur & 3. sententia: quia omnis dispositio per se legitima, ut quis dignè recipiat Sacramentum, est legitima ad eiusdem Sacramenti effectum consequendum: nihil enim aliud est legitime, & dignè accedere ad Sacramentum, quam accedere cum dispositione sufficiente ad consequendum illius effectum. unde repugnat aliquid esse legitimam dispositionem ad recipiendum Sacramentum, & non sufficere ad recipiendum illius effectum.

Confir. ponamus, ut ponit 3. sententia, ad effectum Sacramenti poenitentiae consequendum requiri alium motum, ergo si quis eum non habeat, non consequetur effectum, igitur qui talem motum non adfert ponit obiectionem effectui Sacramenti, & proinde peccat accedendo ad Sa-

cramentum, cum omnis accedens ad Sacramentum ponens obiectionem illius effectui peccet; atqui secundum illam sententiam accedens ad hoc Sacramentum cum sola attritione, ponit obiectionem eiusdem effectui.

2. Iuxta illam sententiam quisquis non se praepararet ad recipiendum motum contritionis per absolutionem, peccaret mortaliter, quod videtur absurdum. sic enim deberemus maximam partem fidelium accusare peccati mortalis, cum omnino pauci sint solliciti de hoc motu procurando sub tempore absolutionis. unde homo meritò perpetuò posset esse anxius de validitate suarum confessionum, cum ea confessio non possit esse valida, in qua peccatum mortale committitur. deberemus etiam accusare confessarios maximè negligentiae, cum vix vlli de eo moneant poenitentes.

3. Iuxta eandem sententiam non posset dari absolutio amenti &c. antè confessio, cum non valeat hunc motum recipere; id autem est contra sensum & praxim Ecclesiae.

4. Ille motus non datur vi absolutionis ex opere operato, cum pauci in se illum experiantur, nec possit dari amentibus: nec ostendi potest quod homo, qui recipit gratiam habituales, teneatur illum elicere, ergo non est asserendum eum debere intervenire ad acquirendam remissionem peccatorum per hoc Sacramentum.

Dices: qui proprià voluntate peccavit, voluntate proprià se avertit à Deo, ergo ad hoc, ut consequatur remissionem, debet se proprià voluntate ad eum convertere, quod fit per solam contritionem.

Respondeo negando consequentiam: si agatur de remissione per Sacramentum acquirendam, & de perfectà conversione: sufficit enim quod per aliquem dolorem supernaturalem efficacem doceat de peccato, ut ratione Sacramenti convertatur ad Deum habitualiter, seu per gratiae habitualis infusionem, & quamvis debeat dolere de ipsa offensâ Dei, non tamen necesse est, ut doceat sub eâ ratione formali, quia est Dei offensâ, sed potest ex alio motivo ex quo vera attritio supernaturalis potest elici. certè si quid argumentum probet, non tam probat sententiam Soti quam illam euerit: nam ostendit non sufficere existimatam contritionem, sed veram à parte rei requiri, atque ita potius fauet primè sententiae.

Petes an aliquis sciens se solum habere attritionem supernaturalem à nobis descriptam possit sine peccato accedere ad hoc Sacramentum?

Ratio dubitandi est quod licet sententia quam sequimur sit omnino probabilior, non tamen videatur planè certa, atque ita homo illam sequendo exponatur periculo privandi Sacramentum suo effectui; ex alterâ autem parte, si adsit vera contritio, Sacramentum suum effectum consequetur unde non videtur aliquis relicta viâ certâ posse vti solum probabiliter: quemadmodum si de virtute alicuius medicinae inter medicos sit controversia, quamvis sententia asserens talem medicinam esse vtilem ad morbum curandum & non nocituram sit probabilior, non licet ea vti relicta certâ, quae possit adhiberi.

Confir. probabilitas opinionum in similibus non versatur circa actionem, utrum sit licita, an illicita, sed circa conditionem rei, an scilicet à parte rei hæc dispositio sit sufficiens, an hæc medicina sit potius

56.

Resp. affir.

profutura, quam obfutura; in similibus autem non statim licet uti sententiā probabilī, relicta certā, ut patet in exemplo allato medicina.

Respondeo nihilominus licere, quia, ut ex dictis facile patet, nostra sententia ita videtur certa, ut moraliter loquendo non suppetat solida ratio, quæ ostendat contrarium esse vel tenuiter probabile. ex hac autem morali certitudine possumus ad praxim procedere, cum ad hoc, ut operemur absque peccato, non possit merito aliud à nobis exigī, quam ut nostra actio, moraliter loquendo, indubitate sit legitima in ordine ad finem, præsertim quando ex ea nulli sequitur incommodum.

Confer. licet contritio sit via certa; homo tamen magnum onus subiret, si teneretur, eam adhibere, cum non ita facile possit elici. potest ergo accedere ad hoc Sacramentum cum inferiori dispositione, quam moraliter constat esse sufficientem.

Porro nostram sententiam ita videri certam, ut alia non sint vllā ratione probabiles; patet discurrendo per singulas, in quantum illi repugnant. Primam enim ostendimus nisi fundamentis, quæ passim censeantur falsa, vel etiam erronea. tertia etiam, in quantum repugnat nostræ sententiæ, repugnat communi sensui & praxi Ecclesiæ: secunda verò censet attritionem in re ipsa sufficere, & quatenus addit debere putari contritionem, non habet vllum fundamentum, ut plures Doctores ostendunt.

57.

Qui utitur hac sententiā, non exponit se periculo morali privandi Sacramentum suo effectu.

Ex his patet ad rationem dubitandi, quod homo dirigendo sese iuxta nostram sententiam non se exponat morali periculo privandi Sacramentum suo effectu: quia ad hoc, ut dicatur moraliter se isti periculo exponere, atque adeo peccet ex hoc capite, requiritur, ut merito possit dubitari, num attritio sit sufficiens dispositio.

Ad confirmationem resp. nos non ex qualicumque probabilitate colligere nos posse ita accedere ad hoc Sacramentum, sed ex morali certitudine, & quidem in ea materiā, in qua, si non liceret uti eā sententiā, homo valde gravaretur, ut diximus. scus est de exemplo medicina, in quo homo non potest censei subire gravamen, si relicta viā solum probabilī, utatur certissimā, quando illa suppetit, unde secundum rectam rationem non potest uti solum probabilī. adde quod si forte sententia probabilis sit falsa, ex vlu illius inferatur malum irreparabile, v.g. mors agroti, & proinde non licet eā uti, si aliā certā viā possit morbo occurrī. in præfenti nullum simile malum oritur ex vlu nostræ sententiæ.

In fine vite tenetur homo ad perfectam contritionem.

Aduerte tamen in fine vite hominem videri ex charitate erga se teneri ad perfectam contritionem procurandam: licet enim alia sententiæ non appareant probabiles, si tamen prima ex quocumque demum capite forte sit vera à parte rei, ex eius neglectu sequeretur malum irreparabile; charitas autem erga se videtur hominem obligare, ut malum illud, quantum in se est, evitet, intendendo etiam ad aliquid ad quod, per se loquendo, non obligaretur extra huiusmodi circumstantiam. videri potest Suarez tomo tertio in tertiam partem disp. 16. sect. 1. §. sed urgebat aliquis.

DVBIVM VI.

Virum Sacramentum Penitentiae possit esse informe defectu contritionis?

NOTANDUM quantum ad præfens institutum pertinet, illud Sacramentum dici informe, quod est integrum, & validum quantum ad substantialia, defectu tamen alicuius conditionis non consequitur suum effectum. v.g. baptizmus collatus in aqua naturali sub debita forma, & legitima intentione est validum Sacramentum, informe tamen, si suscipiens non sit legitime dispositus ad gratiam illius recipiendam. quā ratione discurrendum de confirmatione, ordinatione &c. in præfenti petimus num similiter inueniri possit Sacramentum penitentiae quoad substantialia validum, & integrum: quod tamen careat effectu defectu legitime dispositionis penitentis? in quo variae sunt sententiæ.

Prima asserit hoc Sacramentum posse esse informe. ita plures dubio 2. & 3. citati, scilicet Dur. Palud. Caiet. Victor. Soto Nauarr. Tolet. Henríquez &c. quorum aliqui tenent attritionem naturalem esse partem huius Sacramenti. nam iuxta illam sententiam, si quis inuincibiliter ignoret defectum perfectionis suæ attritionis, non peccat, atque adeo ex eo capite Sacramentum non redditur invalidum, ponit etiam sufficientem partem, quæ accedente confessione, & absolutione potest integrum Sacramentum conficere: is tamen per Sacramentum non consequetur remissionem peccatorum. Alij verò tenent dolorem imperfectum supra explicatum sufficere ad partem huius Sacramenti constituendam, qui tamen non sufficiat ad peccati deletionem.

Eandem sententiam tenet Suarez disp. 20. sect. 5. num. 7. ex alio principio. cum enim sectione 4. sensisset attritionem supernaturalem efficacem requirī ad substantiam huius Sacramenti, & proinde sect. 5. negasset hoc Sacramentum posse esse informe eo modo, quo communis auctores docent, num. 7. cit. censet posse esse informe eo quod illa attritio non sit satis extensa, & vniuersalis quoad obiecta, pro cuius rei intelligentiā

Supponendum 1. quod nullus possit de lege ordinariā consequi remissionem peccati mortalis absque formali, vel virtuali penitentia, ut satis patet ex Concilijs & ex dictis supra.

Supponendum 2. quod etiam ex dictis constat, attritionem, quæ est, pars huius Sacramenti, solum esse eam, quæ per confessionem fit sensibilis. his suppositis declaratur illa sententia, fieri potest ut quis commiserit tria peccata mortalia specie distincta, v.g. furtum, homicidium, adulterium, & solum doleat de duobus, v.g. homicidio, & adulterio propter rationes particulares, nullamque de furto eliciat attritionem, id quod inculpatè: fieri etiam potest ut illud tertium in confessione non explicet inculpatè, vel quia inculpatè non meminit illius, vel quia iusta de causā illud reticet: eo casu Sacramentum videtur validum, & carere effectu, ergo saltem eo casu dari potest Sacramentum penitentiae informe. futurum validum ostenditur, quia inuenitur legitima materia, scilicet attritio sufficiens in ratione partis, & confessio inuenitur & vera forma, quod tamen sit futurum informe patet ex supposito, quia in eo casu penitens non consequetur

remissio-

remissionem furti, cum ergo de facto vnum mortale sine alio remitti non possit, non consequetur remissionem aliorum, & proinde Sacramentum suo effectu carebit.

Secunda sententia principalis vniuersim negat hoc Sacramentum posse esse informe. tenet S. Th. in 4. dist. 23. quaest. 1. art. 4. quaest. iuncula 2. licet alibi contrarius videatur, vt in additionibus q. 9. art. 1. Adrianus q. 5. de confessione dubio 5. Ioan. Medina Cod. de confessione q. 17. Vasquez q. 92. art. 2. dubio vnicuique nu. 13. & varij recentiores; eandem insinuat Gabr. dist. 17. quaest. 1. art. 3. dub. 2. Maior eadem dist. q. 9. quae sententia videtur omnino verior, vbi obiter.

Aduerte plerosque priori sententiae adherentes loqui omnino improbabiler: repugnat enim aliquem intra hoc Sacramentum committere peccatum mortale, & valide confiteri & absolui, cum non consistat aliquem in confessione mortaliter peccare, & nihilominus integram confessionem instituere, repugnat etiam alicuique, qui confitetur se indignum absolutione, valide absolui, vnde non videtur cum vlla specie probabilitatis dici posse subliter penitentiae Sacramentum, licet informe, si addit attritio solum naturalis, quae aliquis etiam confiteatur, idem dicendum si quis agnoscat insufficientiam sui doloris ad consequendum effectum huius Sacramenti, quantumvis illum in confessione explicet; quae tamen, & similia docent varij auctores adherentes priori sententiae, quibus sepositis vniuersim loquendo, resp. &

Dico non dari Sacramentum penitentiae validum, quod nihilominus sit informe defectu contritionis.

Probatur, ad valorem huius Sacramenti requiritur, vt forma sit vera; vt autem ea sit vera, requiritur vt homo reconciliatur Deo, etique peccata remittantur: non potest verò reconciliari, quando caret contritione sufficiente, seu quando est indipotus ad reconciliationem. adde id in quaestione supponi, quod scilicet homo in tali Sacramento non reconciliatur, seu non acquirit peccatorum remissionem, ergo. maior probatur, in genere ad valorem Sacramenti requiritur veritas formae, quod ostenditur, ad valorem Sacramenti non solum concurrat sonus materialis orationis, sed vt significatiuus; constat autem quod si sonus significatiuus sit falsus, non conficiatur Sacramentum, igitur ad valorem Sacramenti requiritur vt sonus significatiuus sit verus, seu vt forma sit vera, cum in sono vt significatiuo seu in oratione non detur medium inter veram, & falsam. minor verò argumenti probatur, forma huius Sacramenti v. g. *te absoluo*, habet pro suo formali significato reconciliationem hominis, seu remissionem peccatorum, quae ipsi sit, nam, *te absoluo*, prout assumitur in hoc iudicio, significat peccata iudicialiter tibi remitti; id autem est falsum si homo remaneat ligatus, & peccator.

Probatur, non minus talis oratio est falsa, quam si quis diceret: *hoc est corpus meum*, & re ipsa non poneretur corpus, similiter quam si quis diceret: *ego te baptizo*, & non ablueret. & quae modum ubi non conficeretur Sacramentum etiam defectu formae, seu quia forma est falsa (quae cumque deum sit radix falsitatis illius) ita in praesenti nullum subsistit Sacramentum, eo quod forma sit falsa, vnde non eliditur vis argumenti quod in praedictis casibus aliquid desit ex parte materiae, in penitentia autem possit inueniri legitima mate-

ria (de quo tamen infra) quia eo non obstante si forma non sit conformis suo significato formali seu obiecto, sed illud aliter enuntiet quam sit, est falsa.

Dices formam non esse falsam, quia sacerdos per eam solum significat quod remittat peccatum sacramentaliter, id est, impendat Sacramentum remissionis peccati, quamvis non sequatur actualis remissio propter subiecti indispositionem.

Resp. negando assumptum, eiusque probationem, quia sacerdos dicit: *absoluo te*, quod absolute pronuntiatum, & secundum intentionem, quae communiter debet & censetur adesse, falsum est si iure non sequatur absolutio, & remissio peccati, nec potest dici conferri Sacramentum remissionis peccati, si non absoluat re ipsa, cum id per formam denotetur.

Neque huic argumento satisficit; si quis dicat absoluit sacramentaliter, cum id etiam sit falsum. nam illa particula, *sacramentaliter*, non est alienans sed solum restringens significatum verbi, *absoluit*, & designans modum quo peccata remittuntur, scilicet per modum iudicii, vnde bene sequitur: absoluit sacramentaliter, ergo absoluit, in qua ratiocinatione si consequens sit falsum, etiam falsum est antecedens.

Ex his patet causam sufficientem propter quam hoc Sacramentum non possit esse validum, & informe, esse falsitatem formae, cum qua stare nequit valor. quamvis enim, vt forma sit falsa, alius defectus debeat intervenire quisquis tandem ille sit, & vndeunque procedat, verum est quod formaliter Sacramentum sit nullum, seu inualidum propter defectum veritatis formae. quod si defectus aliquis ex parte penitentis intercedat, semper intercedit defectus dispositionis. fieri enim non potest, vt penitens se subiiciens clauibus sit legitime dispositus ad recipiendam absolutionem, & aliquid desit ex parte illius, quo minus Sacramenti effectum possit recipere.

Confir. ex parte penitentis solum potest concipi deesse contritionem vel confessionem; repugnat autem illum esse dispositum ad effectum Sacramenti, & non habere contritionem, tum quoad intrinsecam perfectionem sufficientem, tum quoad extensionem in ordine ad obiecta, seu peccata. repugnat etiam hominem esse sufficienter dispositum, & admittere in confessione defectum mortaliter culpabilem, seu obstantem quo minus confessio sit moraliter, & formaliter integra. Vtrum praeter defectum ex parte dispositionis necessario adiungatur aliquis defectus ex parte materiae, dubitari potest de quo paulò post.

Dixi, si defectus aliquis ex parte penitentis intercedat. nam constat hoc Sacramentum posse esse nullum ex parte sacerdotis, vel non habentis iurisdictionem, vel non intendentis absolueri; quo casu non est necesse formam esse falsam propter penitentis indispositionem, vel eo quod non ponat integrè legitimam materiam, sed falsitas abunde potest refundi in absoluentem, cuius sententia propter aliquem ex dictis illius defectibus est falsa, cum siue careat iurisdictione, siue legitimà intentione, non absoluat.

Ex dictis etiam sequitur hoc Sacramentum non posse esse validum, & tamen informe defectu integritatis confessionis. est contra varios qui censent etiam ex eo capite posse esse validum & informe, etiam si defectus integritatis sit culpabilis, modo non sit talis ex intentione vel nimis crassa

Replicā.

Soluitur.

Evasio praecluditur.

63.

Corollar.

64.

Coroll. alté. rurs.

negligentiâ. sed nobiscum sentiunt plures, & ratio à nobis facta id videtur convincere. adde si defectus integritatis non sit culpabilis, non obstat effectui Sacramenti: si verò sit mortaliter culpabilis, non posse consistere cum morali integritate confessionis, quæ requiritur ad substantiam Sacramenti.

Ex quo deduci potest non dari confessionem validam informem defectu examinis: quia vel ille defectus est causa cur confessio non censeatur mortaliter integra, & ita redditur invalida, vel eo non obstante confessio moraliter & formaliter est integra, & ita ex eo capite nullum ponitur obstatulum effectui Sacramenti.

65. Petes, vtrum quandocumque Sacramentum poenitentiae redditur invalidum ex parte poenitentis, semper adiungatur aliquis defectus ex parte materiae?

Resp. neg. Aliqui affirmant, sed verius videtur non necessarium adungi, ut patet in casu relato à Suarez, in quo existimat Sacramentum esse validum & informe, in quo casu licet dicamus Sacramentum esse invalidum: nihil tamen videtur ei deesse ex parte materiae, ut patet ex ijs quæ notauimus, atque ita invaliditas Sacramenti eo casu radicaliter solum refunditur in defectum dispositionis.

66. Dices in eo casu Sacramentum futurum validum: nam homo accedit ad confessionem ex voluntate sese Deo reconciliandi; hæc autem voluntas virtute continet attritionem omnium peccatorum commissorum.

Resp. Respondeo negando assumptum & minorem probationis: quamvis enim talis voluntas saepe includat huiusmodi attritionem: eam tamen neque semper neque necessario includit, quod patet, potest aliquis dolere efficaciter de homicidio propter particularem eius deformitatem, & desiderare illius remissionem, qui nullo tamen modo censeatur ferri in alia peccata, quæ inuincibiliter ignorat, imò quibus habitualiter afficitur, ita ut si occurrerent menti nullo modo vellet illa relinquere. 2. voluntas quâ aliquis vult veniam à Deo petere, non necessario habet coniunctam attritionem efficacem respectu peccati etiam cogitati, ut patet in modo, quem ponit Victoria, quem nullus censet esse impossibilem.

Confirmatur: multi accedunt ad Sacramentum poenitentiae cum desiderio obtinendi absolutionem, qui tamen rogati num doleant de peccato & firmiter proponant illud deferre, respondent negatiue.

67. Dices eos non desiderare efficaciter, neque habere efficacem attritionem, cum tamen in casu Suarez ponatur efficax attritio.

Resp. ita esse: ad hoc tamen valet discursus, ut ostendatur voluntatem accedendi ad hoc Sacramentum, & obtinendi absolutionem non necessario includere efficacem attritionem respectu cuiuscumque peccati, & posse consistere efficacem attritionem alicuius peccati propter particularem eius rationem considerati etiam in ordine ad procurandam eius remissionem, absque eo quod quis doleat de alio peccato planè disparato, præsertim quando illud non obijcitur menti.

68. Contra principalem dubij resolutionem obijcitur 1. quod alia Sacramenta possint esse informia, ergo & hoc.

Resp. neg. consequentiam, propter rationem al-

latam: quia collatio gratiæ non est formale significatum formarum aliorum Sacramentorum, sicut remissio & reconciliatio est formale significatum formæ absolutionis.

Obijcitur 2. sententia lata secundum allegata, & probata, præsertim accedente ignorantia inuincibili, est valida.

Resp. 1. si quid hinc confici possit, etiam confici quoddam Sacramentum habeat suum effectum, quia in humanis iudicijs, ex quibus propter aliquam analogiam hoc argumentum deducitur sententia ita lata sortitur effectum, si non irritetur.

Resp. 2. si quid probet argumentum, etiâ probare futurum validum Sacramentum licet omnis desit attritio etiam naturalis, si defectus inuincibiliter ignoretur: quod tamē nullo modo potest asseri, cum aliqua tandem attritio, quæcumque illa sit, sit pars huius Sacramenti ad eius essentiam requisita.

Resp. ergo 3. neg. assumptum, si desit conditio necessario requisita ad valorem sententiam defectus talis conditionis non suppletur per bonam fidem. cum ergo ad valorem sententiæ absolutionis requiratur ut forma sit vera, & ut res per eam significata verè ita ponatur, sicut enuntiatur, si hoc deficiat, sententia non subsistit, vnde cumq; contingat non esse veram seu ei deesse veritatem.

Obijcitur 3. ex nostra sententiâ valde perturbari conscientias, cum quantumcumq; aliquis fuerit confessus, possit dubitare, num elicuerit debitam contritionem ad obtinendum fructum huius Sacramenti, & possit esse anxius num peccata iterum debeat confiteri: illud pene est præcipuum argumentum, propter quod varij tam multis casibus censeant confessionem posse esse validam, licet informem, & proinde non repetendam: cum tamē varij ex illis modis ita sint improbabilis ut nullo modo videantur solide posse conscientias placare, & plurimum foueant hominum negligentiam, quibus sepositis

Resp. personam quæ adhibuit moralem diligentiam secundum suam conditionem, & se cum Dei auxilio bonâ fide excitauit ad efficacem dolorem peccatorum, posse esse quietam, nec debere anxie confessiones repetere, nisi moraliter ei constet suum dolorem non fuisse sufficientem: quod tamē non facile potest constare. neque persona propter leues discursus tenetur se conicere in angustias confessionem repetendi: potestque esse secura, si confessarius ei dicat non debere eam præteritis confessiones repetere. & quamvis iuxta sententiâ quam sequimur, nunquam sit consecutura directæ veniæ peccatorum in tali confessione explicatorum: consequetur tamen indirectè quando legitime disposita hoc vel alia Sacramenta suscipiet, quod si omnino ei constet dolorem fuisse insufficientem, non debet censi nimium grauamen, quod confessiones debeat repetere, neque inde conscientia possunt merito censi perturbari, sed potius eis solide consulitur.

Ex his facile patet an hoc Sacramentum sublatione fictionis reuiviscat. cum enim existimemus nullam posse esse informem, patet iuxta nostram sententiâ non reuiviscere. Inter Doctores aliarum sententiarum res est controuersa, in qua non videtur improbabile quoddam etiam dato hoc Sacramento valido, & informi, illud non reuiviscat sublatâ fictione.

D V B I V M V I I.

Utrum hactenus dicta de attritione etiam locum habeant in confessione venialium?

Res. a. videri habere. & r. quidem, quod in tali confessione requiratur formalis aliquis actus poenitentiae, probari potest, ex eo quod talis actus sit pars huius Sacramenti, quaecumque materia subijciatur.

2. Quod etiam hic actus debeat esse supernaturalis, patet ex eo quod remissio etiam venialium sit beneficium Dei supernaturale, & contineat aliquam cum Deo reconciliationem, & homo per eam disponatur ad aeternam beatitudinem, ad quam omnia actus naturalis est in proportionatus, cum ea ad veram pietatem pertineant.

3. Videtur etiam verius hunc actum debere esse efficacem, seu continere saltem virtuale propositum vitandi de cetero veniale clauibus subiectum.

Probatur ex eo quod Flor. & Trid. describentia primam partem huius Sacramenti huiusmodi propositum requirant.

Dices, Concilia tradere id, quod in confessione mortali est certum, nihil in alterutram partem determinantia de confessione venialium.

Sed contra obijci potest 1. si hoc sit verum, non suppetere solidam rationem requirendi formalem actum poenitentiae, cum aliquis venialia confitetur.

2. Quod Concilia intendunt agere de partibus, ex quibus, ipsius Sacramenti, igitur debeant vniuersaliter tradere eas partes, quae necessariò requiruntur ut Sacramentum subsistat, quaecumque materia clauibus subijciatur.

Confr. Flor. agens de contritione prima parte Sacramenti poenitentiae dicit: *ad quam pertinet ut debeat de peccato commissio cum proposito non peccandi de cetero*, igitur propositum saltem virtuale est de intrinseca ratione contritionis, quae constituit primam partem huius Sacramenti, & proinde nisi tale propositum inueniatur etiam in confessione venialium, Sacramentum erit nullum.

3. Si Concilia censuissent suam doctrinam non intelligi etiam de confessione venialium, id debuissent explicare, cum non potuerint ignorare esse pium, & salutarem usum in Ecclesia instituenti confessiones etiam de solis venialibus.

Confr. Trid. sess. 14. cap. 5. docens confessionem omnium peccatorum esse necessariam, aliquoties explicuit intelligendum esse de peccatis mortalibus, suo discursu iudicans posse ita institui confessionem venialium, ut nullum peccatum committatur, & non ponatur obstaculum valoris Sacramenti, si non omnia subijciatur clauibus, quorum homo sibi est conscius. simile quid facile iudicasset de contritione respectu venialium, si censuisset suam & Florentini doctrinam de prima parte Sacramenti poenitentiae solum intelligi quando confessio instituitur de mortalibus.

4. Quilibet alius dolor relinquit hominem saltem habitualiter affectum erga peccatum, ergo non videtur legitime disponere ad remissionem illius obtinendam, & proinde talis dolor non videtur assumptus in partem huius Sacramenti etiam respectu confessionis venialium, antecedens

patet, quia cum alio dolore potest consistere voluntas etiam actualis peccandi, & multo magis habitualis.

Aduerte quod cum remissio peccatorum venialium possit diuidi, seu vnum veniale remitti possit sine alio, ad hoc ut Sacramentum subsistat, non requiratur attritio omnium venialium, sicut requiritur omnium mortalium, ut quis alicuius mortalis possit remissionem consequi.

Ex eodem principio quod remissio venialium diuidi possit, sequitur quod si quis atteratur de aliquo veniali quod non subijciatur clauibus, virtus clauium ad illud non se extendat etiam indirectè, cum eius remissio non sit necessaria ad hoc, ut alia remittantur. vnde si forte attritio non sufficiat ut quis consequatur remissionem venialium extra Sacramentum, talis non consequetur remissionem illius peccati.

Ex dictis sequitur quod si quis subijciatur clauibus vnicum veniale cuius non eliciat attritionem, per se loquendo, sit commissurus peccatum mortale, quia est causa cur Sacramentum sit inualidum defectu partis, quam ex hypothesis quod velit Sacramentum suscipere, tenetur ponere, vnde qui sine vilo sensu doloris accederet ad hoc Sacramentum eo quod haberet sola venialia, videtur peccare mortaliter. quod si plura subijciatur eliciens aliquorum veram attritionem descriptam, quamuis non omnium, non peccat mortaliter, quia eo casu inuenitur vera materia & sufficiens dispositio ad valorem formae, & ad effectum Sacramenti consequendum, vnde eo casu forma non redditur falsa, cum per eam gratia conferatur.

Dices iuxta dicta peccata venialia solum remittuntur per hoc Sacramentum, quando coniunguntur peccatis mortalibus.

Resp. id nullum esse absurdum, ut diximus supra q. 87. art. 1. dub. 2.

Contra, ut quid ergo iusti in gratia constituti illud onus subeunt, cum sine illo possint obtinere totum, id, quod videntur velle per Sacramentum impetrare, & non recipiendo hoc Sacramentum non peccant; accedendo autem ad illud facile possint peccare, cum respectu venialium sit difficile elicere attritionem à nobis descriptam.

Resp. vtiliter illud onus suscipere. 1. quia si accedant dispositi, virtute Sacramenti semper recipiunt maiorem gratiam, quam ex opere operantis consequerentur. 2. si forte venialia non remittantur per attritionem extra Sacramenta, illam remissionem consequuntur per Sacramentum, vnde accessus ad Sacramentum etiam ad hoc eis defertur, ut certius peccatorum remissionem consequantur, & forte facilius.

Ad id autem quod additur de difficultate eliciendi attritionem de venialibus,

Resp. non esse tantam difficultatem quin cum Dei auxilio satis facile iustus ad illam possit se excitare, quamuis enim difficulter vitemus peccata venialia: possumus tamen proponere ea vitare, quantum humana fragilitas patitur. nec est signum quod tale propositum non habuerimus, si saepius in eadem venialia relabamur, sed solum quod facilius illud mutemus propter frequentes occasiones venialiter peccandi.

Dices, spectat à diuina clementia, & humana fragilitate videtur consentaneum, ut attritio imperfectior sufficiat pro acquirenda remissione venialium in hoc Sacramento.

Resp. suam disp. 12. sect. 1. num. 9. ita sentire, sufficere

70.

71.

Corollar.

72.

Obiectio.

Resp.

Vtilitates confessio- nis venia- lium.

Saepius in eadem venialia inci- dere non est signum propositi non suffi- cientis.

73.

Suarez pro-
babiliter
scitit suffi-
cere si quis
accedat sine
actuali cõ-
placencia
peccati ve-
nialis, & cõ
desiderio
recipiendi
Sacramen-
tum &c.

sufficere scilicet quod homo accedat sine actuali complacencia peccati venialis & cum desiderio recipiendi Sacramentum eiusque effectum. Sed quod diximus videtur verius, quia contra talem congruentiam opponuntur Flor. & Trid. quæ sunt maioris ponderis.

Adverte tamen hanc Suaris sententiam non videri planè improbabilem, quam etiam quidam alij sequuntur. iuxta quam si quis se dirigat non peccabit, & fortè consequetur Sacramenti effectum. ad Concilia non occurrit aliud dicendum, quàm quod fortè solum tradiderint id, quod certum est in confessione mortalium. quamvis, ut verum fatear, ea quæ attulimus contra hanc explicationem, videantur multum vrgere, & doctrina Suarez loco cit. videatur parum coherere cum eo quod tradit disp. 20. tum precedentibus sect. tum peculiariter 6. in quâ dicta de attritione respectu mortalium censet applicanda confessioni, in quâ sola venialia recensentur.

Iuxta sententiam Suaris ita potest remitti peccatum veniale, per Sacramentum, ut non præinueniatur antea remissum, non solum quando coniungitur mortali, sed etiam sine illo, quod non tantum de Sacramento penitentiae est intelligendum, sed etiam de alijs Sacramentis.

QVÆSTIO III.

De confessione qua est secunda pars Sacramenti Pœnitentiae.

DVBIVM I.

Utrum confessio mortalium sit necessaria ad salutem?

1.

Mulri de
hac re er-
rores.
Montanista.
Novatiani.

Hæretici
nostri tem-
poris.

MULTI hac dere fuerunt errores: nam Montanista, & Novatiani, quos supra quæst. 1. dub. 1. diximus negasse Sacramentum penitentiae, videntur etiam negasse usum confessionis, & proinde eiusdem necessitatem. eandem negavit Caluinus ibidem cit. & clariùs lib. 3. institutionum cap. 4. §. 7. volens liberum esse confessionis usum, imò hæretici nostri temporis censent confessionem esse inuentum quoddam humanum ab Innocentio 3. introductum in Concilio Lateranensi, & consequenter meritò à pijs hominibus abolendum, quod Ecclesia non potuerit præcipere, ut etiam secreta cordis peccata in confessione recensentur. videri potest Bellarminus lib. 3. de penitentia cap. 1. Petrus Oxomenus propositione 2. damnatà censet confessionem peccatorum in specie non esse iuris diuini, sed ex statuto vniuersalis Ecclesiae, & ut q. 1. dub. 3. vidimus, censuit iustificatis confessionem non esse necessariam, imò Glossa in principio distinctionis 5. de penitentia censet melius esse credere confessionem esse præceptam ex lege Ecclesiastica, vel traditione, nec eà obligari Græcos. sed Resp. &c.

Dico 1. fide certum est necessariam esse confessionem peccatorum mortalium commissorum post baptismum, etiam occultorum.

Probatur 1. supra q. 1. dub. 1. ostendimus Sacramentum penitentiae esse ad salutem necessarium, ergo etiam confessio est necessaria, cum Sacramen-

tum non possit dici necessarium, nisi singulari par-tes ad eius substantiam requisita, sint necessariae.

Probatur 2. ex Concilio Cabilonensi 2. can. 12. sed & hoc emendatione egerè perspeximus, quod quidam dum confitentur sacerdotibus, non plene id faciunt: quia ergo constat hominem ex duabus esse substantijs, animâ videlicet, & corpore, & inter dū animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debet inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, ut scilicet ea confitentur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in solâ cogitatione delinquitur. ex Conc. Wormatiensi can. 7. debet itaque sacerdos in penitentiâ danda singulâ causâ singulatim considerare, originem quoque, modumque culpam, & affectus, gemitusq. delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere &c. ex condemnatione art. 7. Wicleff in Conc. Constantiensi sess. 8. si homo debet fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis, ex Trid. sess. 14. c. 5. & can. 6.

Probatur 3. ex Patribus, Cypriano sermone de lapsis grauius reprehendente eos, qui admittunt peccatores ad Eucharistiam non præmissâ peccatorum confessione, Ambr. lib. 2. de penitentia, cap. 6. dicente: si vis iustificari, facere delictum tuum: soluit enim criminum nexus, veracunda confessio peccatorum, quod intelligit & de confessione homini faciendâ, & faciendâ de peccatis in specie, Hieron. in cap. 16. Matthei: quomodo ergo ibi (scilicet in Leuitico) leprosum sacerdos mundum vel immundum facis, sic & hic alligat, vel soluit Episcopus & Presbyter &c. sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates sit quibuscumque solutus, August. lib. 50. homiliarum, homilia 12. Deus noster, quia pius est, & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro ijs confundamur postmodum in futuro. Leon. epist. 91. mediator Dei, & hominum Christus Iesus hanc Ecclesiae propositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem penitentiae darent, & eos salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum perianuum reconciliationis admitterent. plures videri possunt apud Bellarminum lib. cit. cap. 6. & sequentibus.

Dico 2. hæc necessitas non est introducta per Innocentium tertium in Conc. Lateranensi, patet ex superiori conclusione, cum plures Patres antiquiores Conc. Lateranensi illius meminerint, immo Concilia illo antiquiora, idq. definit Trid. sess. 14. cit. can. 6. videri etiam potest caput 5. eiusdem sess. sub finem.

Dico 3. ad veniam peccatorum acquirendam necessariam esse confessionem etiam speciale peccatorum etiam interiorum, & non sufficere generale, quâ quis agnoscat se peccatorem. patet ex Conc. Cabil. cit. & ex Trid. cap. 5. cit. & can. 7. eiusdem sess. item ex Patribus citatis, & alijs. quod bene deduxit Trid. cap. 5. cit.

Dico 4. hæc confessio mortaliu necessaria etiam est ijs, qui per contritionem sunt iustificati, patet ex condemnatione articuli Petri Oxomeni, & ex condemnatione articuli Wicleff, ex Trid. sess. cit. cap. 4. docente etiam contritionem perfectam non reconciliare hominem sine toto Sacramenti penitentiae: inde enim sequitur necessariò ea peccata clauibus per confessionem esse subiicienda, quorum aliquis per contritionem confectus est remissionem: videri possunt dicta q. 1. dub. 3.

Dico 5. hæc necessitas provenit ex iure diuino, est de fide, definitum in Trid. sess. 6. cit. in hæc verba: si quis negauerit confessionem sacramentalen vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure diuino &c. anathema sit. & can. 7. idem definitur de confessione etiam

Conclus. 1.
Cathol.
Necessaria
est confessio
mortalium
etiam secre-
torum.
Prob. 1.